

REGLA DE 1923

La regla de los seglares dominicos se adapta al CIC de 1917

Al igual que sucedió con las normas de otras instituciones religiosas y eclesiásticas, tras la promulgación del CIC por Benedicto XV en 1917, la regla de la Orden Seglar tuvo que ser adaptada al nuevo marco jurídico eclesial. Así, en 1923, el MO Theissling promulgó la *Regla de la Tercera Orden seglar de Sto. Domingo*, la cual fue publicada en Analecta S.O.P. 16 (1923-1924) 101-112. Presentamos a continuación el texto íntegro por su interés histórico y para ofrecer, una vez más, un fácil acceso a los que deseen profundizar en la historia de los seglares dominicos.

Regula Fratrum et Sororum Tertii Ordinis saecularis sancti Dominici

Caput Primum. De natura et fine Tertii Ordinis.

1. Tertius Ordo saecularis Fratrum Praedicatorum, seu Ordo Poenitentiae Sancti Dominici, Militia Jesu Christi etiam dictus, est associatio Christifidelium in saeculo viventium, qui vitae religiosae ac apostolicae Ordinis Fratrum Praedicatorum secundum propriam Regulam ab Apostolica Sede approbatam, participes facti, sub ipsius Ordinis moderamine ad christianam perfectionem contendere nituntur.

2. Finis hujus Tertii Ordinis est propria sanctificatio seu perfectior vita christiana sectanda, atque salus animarum promovenda ratione congrua statui fidelium in saeculo viventium.

3. Media autem ad hunc finem consequendum, praeter communia praecepta et officia proprii status, haec sunt: Observantiae huius Regulae, praecipue oratio assidua et pro posse liturgica, praxis poenitentiae, opera apostolatus pro fide et Ecclesia atque caritatis iuxta proprii status conditionem.

4. Associationes in quas Tertius Ordo dividitur, vocantur Fraternitates seu Sodalitates. Potest tamen aliquis in Tertium Ordinem ex causa speciali recipi, quin alicui Fraternitati adscribatur.

5. Fraternitates sine consensu Ordinarii loci valide erigi nequeunt, et in quantum fieri potest, sint distinctae pro viris et feminis.

6. Quae de Tertiariis dicuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

7. Habeantur quoque pro posse, Fraternitates sacerdotum saecularium, qui sub directione alicuius Patris ex Ordine ad perfectiorem tendant vitam apostolicam.

Caput Secundum. De Recipiendis et eorum conditionibus.

8. Imprimis, ut hic Ordo continuum et perpetuum de bono in melius recipere valeat incrementum, quod ex receptione personarum bene dispositarum plurimum noscitur dependere, nullus ad Tertium Ordinem recipiatur, nisi, praemissa diligenti examinatione atque sufficienti probatione, iuxta prudens Directoris iudicium constet, quod sit

catholicus, honestae vitae et bonae famaе, christianae perfectionis sectandae sincero desiderio flagrans, necnon spem praebeat in bono proposito perseverandi, maxime si sit iuvenis. Quinimmo, tamquam S. Dominici singularis in Domino filius, sit veritatis catholicae fidei, iuxta suum modulum, aemulator ac zelator praecipuus, atque erga Ecclesiam et Romanum Pontificem speciali devotione praeditus.

9. Sic bene dispositi vero, fideles omnes utriusque sexus, clerici vel laici, exceptis tamen Religiosis necnon personis laicis alii Tertio Ordini jam addictis, coelibes vel matrimonio juncti, postquam expleverint aetatem octodecim annorum vel saltem septemdecim ex licentia a P. Provinciali iusta de causa data, Tertio Ordini Fratrum Praedicatorum adscribi valent. Matrimonio adstricti sine alterius coniugis consensu ordinarie non admittantur, nisi in ipsis vel in altero ipsorum adsit causa, propter quam prudenti iudicio secus faciendum videatur.

10. In Tertium Ordinem recipere valent:

- a) Magister Ordinis vel Prior Provincialis intra limites suae iurisdictionis;
- b) Director Tertii Ordinis legitime institutus pro sua Fraternitate, vel ab eo in singulis casibus delegatus;
- c) Quilibet Sacerdos a Magistro Ordinis vel a Priore Provinciali delegatus. In locis tamen ubi Fraternitas legitime iam instituta est, facultate sibi concessa uti nequit sine consensu Directoris eiusdem Fraternitatis, vel speciali licentia Delegantis. Delegatio Magistri Ordinis est ad vitam, delegatio vero a Provinciali facta successoris confirmatione indiget.

11. Ut aliquis certae Fraternitati Tertii Ordinis adscribatur, requiritur praeter favorabilem Directoris sententiam, consensus Consilii ipsius Fraternitatis.

Caput Tertium. De Habitu Fratrum et Sororum.

12. Habitus integer Tertii Ordinis, de communi panno laneo confectus, componitur ex tunica albi coloris, corrigia de corio ad lumbos ligata et mantello nigri coloris cum caputio pro Fratribus, cum velo et binda de lino pro Sororibus.

13. Tertiarii pro Habitu Ordinis ordinarie sub suis vestibus saecularibus deferant saltem parvum scapulare ex lana alba.

14. Tertiarii in publicis functionibus, de consensu Ordinarii loci semel tantum obtinendo, Habitus integrum Tertii Ordinis, vel quaedam insignia propria, secundum usum locorum, deferre possunt. Quod si collegialiter intersint, cum suis insignibus sub cruce propria incedant necesse est.

15. Habitus integrum Tertii Ordinis extra sacras functiones publice deferre prohibetur, nisi ex speciali concessione Magistri Ordinis et cum licentia Ordinarii loci.

16. Post mortem omnes Tertiarii integro Habitu Tertii Ordinis, vel etiam Fratrum et Sororum ipsius Ordinis indui possunt.

17. Vestes vero saeculares secundum conditiones aetatis et status sint; in quibus tamen effulgeat modestia christiana; et praecipue in forma omnis mundana resecetur vanitas, sicut decet servos et ancillas Christi.

Caput Quartum. De modo recipiendi ad Tertium Ordinem et de Benedictione Habitus.

18. Peracto probationis tempore Postulans recipiatur a Directore vel eius delegato ante altare Ecclesiae vel alio loco convenienti, iuxta caerimoniale Tertii Ordinis, praesentibus saltem aliquibus de Fraternitate. Potest vero Postulans sinetestibus recipi, si alicui Fraternitati non sit adscribendus.

19. Habitu legitime accepto, ipso facto ad participationem bonorum omnium spiritualium tum Fratrum tum Sororum Ordinis admittitur.

20. Scapulare, quoties renovatur, benedici debet. Possunt hanc Benedictionem impertiri praeter illos qui habent facultatem recipiendi ad Habitus, omnes Sacerdotes Ordinis nostri; in locis vero in quibus nec Fratrea Ordinis nec Director alicujus Fraternitatis adsint, etiam quilibet Sacerdos ad Confessiones audiendas approbatus.

Caput Quintum. De Novitiatu et Professione.

21. Novitii antequam ad Professionem admittantur, per unum annum probationis sub directione Magistri Novitiorum operam dent Regulae addiscendae, ut proprias obligationes cognoscant et spiritu S.P. Dominici conentur informari.

22. Completo probationis anno, vel etiam antea, si peculiaria personae adiuncta id exigere videantur, Novitius a Directore, de consensu maioris partis Consilii Fraternitatis, ad Professionem recipiatur.

23. Qui ad Tertium Ordinem privatim admittuntur, possunt ad Professionem recipi iuxta prudens iudicium habentis legitimam facultatem.

24. Professio consistit in formali promissione, sine voto tamen, vivendi secundum Regulam Tertii Ordinis Fratrum Praedicatorum.

25. Profitebitur autem hoc modo:

"Ad honorem Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et Beatae Mariae Virginis, et Beati Dominici, Ego N.N. coram vobis Directore et Priore (vel Priorissa) Fraternitatis Tertii Ordinis de poenitentia Beati Dominici huius loci, vice Rev.mi Magistri Ordinis, profiteor me velle de cetero vivere secundum Regulam et formam Fratrum et Sororum eiusdem Ordinis de poenitentia Beati Dominici usque ad mortem".

26. In qualibet Fraternitate pro suis propriis membris habeatur liber, in quo notentur nomen recipiendi necnon dies Vestitionis et Professionis. Qui privatim recipiunt Tertiarios, mittant easdem informationes ad P. Provincialem territorii, in quo Tertiarius habitualiter residet, vel ad Superiorem, a quo facultatem receperunt.

27. Fratres Tertii Ordinis, post talem Professionem, quae est perpetua, ad perseverantiam in hoc Ordine tenentur, nec sine iusta causa ad alium Tertium Ordinem transire possunt.

Caput Sextum. De Officio recitando.

28. Tertiarii dicant quotidie vel antiquum Officium: Pater noster, vel parvum Officium B.M.V. secundum ritum Ordinis, vel Rosarium integrum B.M.V. aut, si sint impediti, aliud ex parvis Officiis in Ordine approbatis, vel tertiam partem Rosarii.

29. In recitatione antiqui Officii Pater noster, pro Matutinis dicant viginti octo Pater noster et Ave Maria, pro Vesperis quatuordecim, pro qualibet aliarum Horarum septem. Dicant etiam Symbolum Apostolorum Credo in Deum, in principio Matutinarum, ante Primam et in fine Completorii. Matutinae in vigilia diei vel mane, parvae Horae ante meridiem, Vesperae et Completorium ante finem diei dici solent. Possunt tamen quocumque tempore infra diem recitari, dummodo regulariter ordo Horarum servetur.

30. Sacerdotes vel qui in sacris sunt constituti, huic obligationi satisfacient cum sola Divini Officii recitatione; semel tamen in die dicant Responsorium "O spem miram" cum versiculo et oratione in honorem S. Dominici.

31. Sacerdotes Tertiarii, permissione obtenta a Rev.mo P. Magistro Generali, uti possunt Breviario et Missali iuxta Kalendarium Ordinis.

Caput Septimum. De Confessione et Communione, aliisque exercitiis pietatis.

32. Ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae bis saltem in mense legitime non impediti accedant. Quod si frequentius, imo quotidie Sanctissimo Corpore Christi refici voluerint, eorum devotio laudanda est.

33. Tertiarii conentur pro viribus suis quotidie Missae sacrificio interesse, atque Sacerdotem celebrantem attente ac pie sequi, orationi mentali vacare et pietatis officii spiritui Ordinis consentaneis incumbere.

34. Singularem devotionem et affectum prosequantur quoque Patronam fidelissimam totius Ordinis Virginem Mariam, eiusque Sponsum Sanctum Joseph, B. Patriarcham Dominicum, Virginem Senensem Catharinam, Tertii Ordinis Patronam, necnon omnes Sanctos et Beatos Ordinis.

35. In Ecclesiis magna cum reverentia sese habeant, tempore praesertim divinorum Officiorum, et omnibus Christifidelibus exemplo sint.

36. Valde commendatur, ut in singulis Fraternitatibus semel saltem in anno Exercitia spiritualia ad minus per triduum fiant.

Caput Octavum. De Ieiuniis.

37. Praeter ieiunia et abstinentias ab Ecclesia instituta, Tertiarii legitime non impediti, ieiunent in pervigiliis Festorum SS.mi Rosarii, S.P.N. Dominici et S. Catharinae Senensis. Insuper, spiritui poenitentiae Ordinis et antiquae Regulae insistentes, laudabiliter sextis feriis totius anni ieiunia observent, aliisque poenitentiae operibus sese exercent de consilio tamen Directoris vel Confessarii discreti.

Caput Nonum. De discursibus et oblectamentis mundanis vitandis.

38. Inutiles curiososque discursus non faciant. Ad choreas, sive ad mundana convivia, sive ad vana spectacula non accedant. Quod si ab iis omnibus abstinere impossibile sit, addiscant de necessitate facere proventum et, si tempus suppetat, permissionem a Patre Directore petant, vel saltem eum moneant.

Caput Decimum. De reverentia erga Praelatos et Clericos.

39. Tertiarii Ecclesiarum suarum Episcopos et Parochos summe revereantur, ipsorumque jura, secundum uniuscujusque loci praescripta vel consuetudines, fideliter eis solvant. Alios quoque clericos pro diversis eorum gradibus et muneribus in honore habeant.

Caput Undecimum. De operibus apostolatus et caritatis.

40. Apostolici Patriarchae Dominici et Seraphicae Virginis Catharinae Senensis vestigia prementes, Tertiarii omnes vitam pro gloria Dei ac proximorum salute ardenti et generoso animo impendant et superimpendant.

41. Memores traditionum majorum nostrorum, pro veritate catholicae fidei, necnon pro Ecclesia et Romano Pontifice opere et sermone adlaborent, strenuos defensores eorum iurium in omnibus et semper sese exhibentes. Auxilium quoque praestabunt operibus apostolicis, praesertim sui Ordinis.

42. Operibus caritatis et misericordiae secundum conditiones temporum et necessitates locorum sive privatim sive collegialiter incumbant, pro suo modo et posse, sub directione Superiorum.

43. Parochum etiam libenter adjuvent in piis operibus parochiae et praecipue, ubi necessitas adest, in instructione religiosa pueris vel puellis impertienda.

Caput Duodecimum. De infirmis visitandis et adjuvandis.

44. Sint in Fraternitate visitatores pro infirmis, qui Sodales infirmos juxta Directoris dispositionem caritative visitare et in spiritualibus ac temporalibus adjuvare studeant.

Caput Decimum Tertium. De obitu Fratrum et de Suffragiis.

45. Si quis ex Sodalibus mori contigerit, ejus mors ceteris Sodalibus, tempore opportuno, nuntietur omnesque Sodales ejusdem Fraternitatis defuncti exequiis personaliter intersint, nisi legitime fuerint impediti.

46. Praeterea infra octo dies ab habita mortis notitia, quilibet Frater eiusdem Fraternitatis tertiam partem Rosarii pro eius anima recitabit, unam Missam audiet et unam Communionem applicabit.

47. Quotidie unusquisque dicat semel Pater, Ave et Requiem pro vivis et defunctis universi Ordinis.

48. Praeter haec quilibet infra annum, pro Fratrum et Sororum tam vivorum quam mortuorum salute, tres Missas faciat celebrare, vel saltem audiat.

Caput Decimum Quartum. De Moderatoribus Tertii Ordinis.

49. Tertius Ordo Fratrum Praedicatorum sub immediata directione et correctione Magistri Ordinis positus est, a quo propterea tum Fraternitates tum singuli Tertiarii, necnon Directores omnes pendent, quantum ad ea quae eorum vivendi modum secundum Regulam respiciunt.

50. Praeter Magistrum Ordinis etiam Provinciales, intra limites propriae Provinciae, de Tertio Ordine ex officio curam habent.

51. Magister Ordinis et Priores Provinciales jus habent visitandi vel per se vel per alios, quotannis eoque crebrius, si res postulaverit, singulas Fraternitates. Quae opportuna in Domino duxerint, per modum consilii, monitionis, ordinationis vel correctionis, etiam cum amotione alicujus Officialis, ab omnibus et singulis grato et humili animo recipiantur.

52. Tertiarii qui non sint membra alicujus Fraternitatis, Magistrum Generalem Ordinis vel Priorem Provinciale tamquam Superiores in Tertio Ordine habeant; ceteri alicui Fraternitati adscripti etiam a Directore aliisque eiusdem Fraternitatis Superioribus legitime pendent.

53. Directoris cuiusque Fraternitatis institutio in Ecclesiis Ordinis, Magistro Generali vel Priori Provinciali exclusive reservatur. In Ecclesiis extraneorum praerequiritur etiam consensus Ordinarii loci.

54. Directoris munus ad triennium perdurat, quo expleto idem Director denuo institui potest.

55. Director, durante munere, potest ex officio peragere quae ad spiritualem Sodalium informationem et directionem referuntur. Quoad conciones eis habendas servantur leges Ecclesiae.

56. Directores saeculares semel in anno ad Provinciale relationem transmittant de statu et profectu Fraternitatis sibi commissae.

Caput Decimum Quintum. De Officialibus Fraternitatis.

57. Sint in unaquaque Fraternitate Prior, Supprior, Novitiorum Magister, aliique Officiales et Consilarii.

58. Consilium Fraternitatis duodenarium numerum non excedat. De iure membra huius Consilii sunt: Prior, Supprior et Magister Novitiorum.

59. In prima Fraternitatis constitutione Officiales omnes a Provinciali instituentur; idemque fiet post Consilii dissolutionem, quae ipso facto habebitur, quotiescumque vel totum Consilium vel etiam major Consiliariorum pars quacunque ex causa ab officio defecerit.

60. Munus Officialium et Consiliariorum ad triennium perdurat; sed quolibet anno tertia Consiliariorum pars renovabitur a Directore cum remanentibus de Consilio. In anno

vero, quo renovari debent Officiales, primum compleatur Consilium; deinde a Directore cum completo Consilio instituantur Prior ceterique Officiales. In casu dissensus inter Directorem et Consilium ad Priorem Provinciale[m] recurratur.

Caput Decimum Sextum. De officio Prioris, aliorumque Officialium Fraternitatis.

61. Prioris officium erit sollicitam dare operam, ut Regula ab omnibus observetur. Diligenter etiam invigilare debet, quod in incessu, statu, habitu, nihil per aliquem Fratrem suae Fraternitatis fiat, quod cuiusquam merito turbare possit aspectum. Si quos vero viderit transgredientes vel etiam negligentes, caritative corripiat et emendet; vel si magis sibi videbitur expedire, Fraternitatis Directori, ut corrigat, poterit intimare.

62. Suprior locum tenet Prioris in ipsius absentia.

63. Ceteri Fraternitatis Officiales ea munia gerant, quae iuxta consuetudines particulares et attentis necessitatibus cuiuscumque Fraternitatis, magis videantur expedire.

64. Consilium convocari debet a Directore, qui et ipsi praesidet, quoties votum Consilii secundum Regulam, vel ad maioris momenti negotia pertractanda iuxta statuta peculiaria requiritur.

Caput Decimum Septimum. De Fratrum Congregationibus.

65. Semel in mense, certa die et hora, convenient Sodales Fraternitatis Dei verbum a Directore et Missam, si hora competens fuerit, pariter audituri.

66. Director ipsis legat et exponat Regulam, de agendis Fratres informet et negligentias corrigat et emendet, prout secundum Deum et Regulam viderit expedire.

67. Suffragia etiam fiant pro vivis et defunctis, cum absolute a culpis propter transgressionem Regulae.

Caput Decimum Octavum. De correctione Fratrum.

68. Si quis aliquam culpam notabilem commiserit et admonitus a Directore, se non emendaverit, secundum conditionem personae et exigentiam delicti gravius vel levius corrigatur. Potest etiam ad tempus a consortio Confratrum excludi; vel etiam penitus, de consensu tamen Consilii Fraternitatis, si delinquens post unam alteramve admonitionem, sese emendare neglexerit, nec denuo, nisi de consensu Consilii Fraternitatis, admitti potest.

69. Solius Supremi Moderatoris Ordinis vel Prioris Provincialis est ab ipso Tertio Ordine propter graves causas aliquem dimittere, et quidem in casu gravis scandali, absque praevia admonitione.

Caput Decimum Nonum. De Dispensationibus.

70. Magister Ordinis a quocumque huius Regulae praescripto plenariam habet potestatem dispensandi. Insuper Provincialis intra limites suae iurisdictionis, vel etiam

Director in sua Fraternitate, vel delegatus ab ipsis, in casu particulari ex causa rationabili, cum suis Tertiariis dispensare poterit.

Caput Vigésimum. De modo obligandi hujus Regulae.

71. Praescripta huius Regulae, praeter divina et Ecclesiae statuta, Fratres et Sorores non obligant ad culpam coram Deo, sed tantum ad poenam vel taxatam a lege vel a Praelato seu Directore taxandam ad normam Capitis decimi octavi. Memores tamen suae professionis, Fratres omnes hujus Regulae ordinationes adimpleant, cooperante gratia Domini et Redemptoris nostri Iesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Decretum

SS.mus Dominus noster Pius Divina Providentia Papa XI in audientia habita ab infrascripto Patre Secretario S.C. Religiosorum Sodalium negotiis praepositae die 23 aprilis 1923 ad preces Rev.mi Patris Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum annuens, Regulam Fratrum et Sororum Tertii Ordinis saecularis S. Dominici a Summis Pontificibus Innocentio VII et Eugenio IV iam pridem approbatam, nunc vero ad temporum rationem accomodatam et a S.C. revisam prout in praesenti exemplari, cuius autographum asservatur in archivo eiusdem S. Congregationis, continetur, approbavit et confirmavit, firmis in omnibus Sacrorum Canonum praescriptis.

Datum Romae, ex Secretaria S.C. de Religiosis, die 23 aprilis 1923.

L.S.

C. Card. Laurenti, Praef.

Maurus M. Serafini, Ab. S.B., Secretarius.